

ad salutem dirigimur, tribuit meritis Christi: ipse enim tanquam mediator Dei, hominum redemptor et salvator, omnia reconciliationis, redemptionis et salutis nostrae media et auxilia nobis promeruit, procuravit et impetravit, ut ostendi *Ephes. 1, 3.*

Notant hic *secundo*, Chrysostomus et Theophylactus, pati pro Christo vocari ab Apostolo donum Dei, duabus de causis: primo, ut non pudeat eos passionis, sed in ea sint constantes, acceptentque quasi magnum Dei donum; *secundo*, ne in eo extollantur, cum illud non habeant a se, sed a Deo. Sicut ergo fidelissimis servis in bello probatis, dantur a regibus honorificae cruces pro mercede laborum, ita dantur et magnis Sanctis a Deo.

Notant *tertio* iidem, hoc donum patienti pro Christo majus esse, quam suscitare mortuos et signa miranda patrare. « Hic enim, inquit, debitor sum (Deo, qui gratiam suscitandi dedit), illic autem debitorem habeo Christum. O rem admirandam! Et donat mihi, et super hoc ipse debet mihi, » *q. d.* In hac ergo vestra passione gaudere et exultare debetis, o Philippenses. Vide

dicta ex eodem Chrysostomo, *Ephes. cap. III, 4.*

Nota *quarto*, pati pro Christo esse singulare Dei donum, non tantum eatenus, quatenus Deus obicit homini occasionem, sicuti fidei, ita et martyrii similiumque afflictionum pro fide et Christo tolerandarum (uti explicat hic commentarius Hieronymo ascriptus, qui potius est Pelagii, vel Pelagiani alienus, ut ex hoc loco et similibus patet), sed etiam hoc ipsum pati pro Christo est donum Dei, quia Deus patienti affectum, desiderium et fortitudinem patienti pro Christo aspirat, ut contra Pelagium passim docet Augustinus.

30. IDEM CERTAMEN (Graece ἀγών, eundem agnomen) HABENTES, QUALE ET VIDISTIS IN ME, ET NUNC AUDISTIS DE ME. — Graece ἀκούσα, id est *audivi*, *q. d.* In hoc fidei agone mecum quasi athleta decertatis, o Philippenses, idem vobis est agnomen qui et mihi, eadem palaestra, idem certamen pro Evangelio: quia pro eo persecutiones, exilia, carceres, honorum rapinas aliisque multa patimini, qualia nunc audistis me Romae pati, et olim vidistis me Philippi patientem, cum apud vos virgini caesus sum et incarcerationis, *Act. XVI, 22.*

## CAPUT SECUNDUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Videntur Philippenses, uti et Corinthii, laborasse ambitione et schismate.*

*Hinc primo, ardentur eos incitat ad humilitatem et charitatem fraternam, tum exemplo Christi Domini, qui se amore nostri humiliavit usque ad mortem crucis, ideoque exaltatus est, ut in nomine Jesu omne genu flectatur; tum ex metu et reverentia Dei, qui operatur in nobis velle et perficere, ipsamque salutem, vers. 12. Secundo, hortatur, ut inter Gentiles quasi luminaria virtutibus prae luceant, vers. 13, ad idque, vers. 17, optans martyrium dat se exemplum.*

*Tertio, vers. 18 et 19, ait se ad eos missurum Timotheum et Epaphroditum ad eorum consolationem et profectum.*

1. Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: 2. implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, 3. nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes, 4. non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum. 5. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: 6. qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: 7. sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. 9. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: 10. ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et inferiorum: 11. et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. 12. Itaque, charissimi mei (sicut semper obedistis), non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. 13. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere,

pro bona voluntate. 14. Omnia autem facite sine murmurationibus et hesitationibus: 15. ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae, inter quos luceatis sicut luminaria in mundo, 16. verbum vitae continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. 17. Sed et si immolator supra sacrificium et obsequium fidei vestrae, gaudeo, et congratulor omnibus vobis. 18. Id ipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi. 19. Spero autem in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos: ut et ego bono animo sim, cognitis quae circa vos sunt. 20. Neminem enim habeo tam unanimum, qui sincera affectu pro vobis sollicitus sit. 21. Omnes enim quae sua sunt, quarunt, non quae sunt Jesu Christi. 22. Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio. 23. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quae circa me sunt. 24. Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito. 25. Necessarium autem existimavi Epaphroditum, fratrem et cooperatorem, et commilitonem meum, vestrum autem apostolum et ministrum necessitatis meae, mittere ad vos: 26. quoniam quidem omnes vos desiderabat, et molestus erat propterea quod audieratis illum infirmatum. 27. Nam et infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus; non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. 28. Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. 29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote. 30. Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut implet id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

1. SI QUA ERGO CONSOLATIO IN CHRISTO. — « In Christo, » id est Christiana, sive quae sperari et expectari potest ab iis qui sunt in Christo, puta Christianis, qui unum sunt in fide et charitate Christi, *q. d.* Si Christiano more, si ex Christi lege, imitatione, compassione, spiritu, me Apostolum vestrum victum consolari cupitis, o Philippenses. Ita Theophylactus.

SI QUOD SOLATIUM CHARITATIS, — si charitatem consolando me vultis ostendere, si charitas vestra aliquid mihi solatium cupit afferre.

SI QUA SOCIETAS SPIRITUS, — si quis sit Spiritus Sanctus hominibus Christianis communis, si declarare vultis vos eundem mecum habere spiritum, si qua vobis in Ecclesia mecum est societas et communio Spiritus Christi.

SI QUA VISCERA MISERATIONIS. — Graece ἐνσπλαγχνία καὶ σπλαγχνία, si qua viscera et miserationes. Ubi nota *primo*: si *viscera*, id est si qua, legit Noster, Vatablus, Beza et alii; Chrysostomus tamen cum suis legit *ἀγάπη*, id est si *quae*: et tunc est antiphrasis, si quis, id est si qua: ad rem enim, non ad verba attendit Apostolus. Vide *can. 38.* Nisi dicas cum Erasmo abstractum poni pro concreto: si quis est viscera et miserationes, id est si quis est visceralis et misericors, ut *ἐνσπλαγχνία*, hoc est viscera, vocet ipsum hominem viscerali misericordia praeditum.

Hinc nota *secundo*: Viscera vocat viscerales affectus, puta tenerrimam, intimam et ex imis quasi visceribus miserationem et compassionem: hoc enim est Hebraicum רַחֲמִים *rachamim*, *q. d.*

si qua erga miseros et afflictos, ac praesertim erga me Apostolum vestrum victum, tenera ac viscerali commiseratione tangimini.

2. IMplete GAUDIUM MEUM (gaudium, quo me credendo et collaborando Evangelio cupitis afficere, cap. 1, vers. 7, complete et cumulate, satagendo scilicet), ET *ἐξ* SAPIATIS, EANDEM CHARITATEM HABENTES. — Et quale pathos Apostoli, quot verbis, quanta energia, quanto affectu Christianos Philippenses ad concordiam et charitatem fraternam incitat!

UT IDEM SAPIATIS. — Sytus, ut sit vobis una voluntas; sed sapere, tam intellectus est, quam voluntatis: vult ergo eos tam intellectum, quam voluntate, tam in fide et dogmatibus, quam in amore et affectu esse concordantes, ut idem credant, idem amant.

EANDEM CHARITATEM HABENTES. — « Eandem, » id est mutuum, ut singuli sese invicem una eademque, id est multa, charitate complectantur, quasi una eademque charitatis anima viverent. *Secundo*, Theophylactus et Eckenemus, « eandem, » id est aequalem et parem, ut tantum quisque alium amet, quantum amat ab alio, ut quisque alteri in amore respondeat: magnus enim amoris est amor, iuxta et illex efficacissimus amoris est amor. Hoc est, inquit Seneca, phyltrum sine venefice carne cogens etiam homines ad redamandum: si vis amari, ama. Nimirum:

Ut praestem Phyladem, aliquis mihi praestet Orastem. Hoc non fit verus, Marce: ut amaris, ama.

UNANIMIS (concordes, itaque conjuncti, ac si in omnibus una eademque esset anima, quae tot diversa corpora regeret, faceretque tot homines) IPSUM SENTIENTES, — vel sapientes, ut paulo ante veritatis noster Interpres: nimirum, ut idem omnes sapiant, sentiant, credant, ament, idem velint, idem nolint. Syrus totum hunc versum ita vertit, *implete gaudium meum, ut sit vobis una voluntas, et una charitas, et una anima, et una sententia.*

Vide quam impense Apostolus Christianis commendat concordiam. Est enim ea omni muro firmis et inexpugnabilis munimentum. Hinc cum Laedemoniis periclitarentur, Iseus sophista illud Homeri carmen recitavit:

*Scutum hasit scuto, galeae galea, atque viro vir.*

Et adjecit: « Sic state, Laedemonii, et muris cinei sumus. » Unde et Agesilaus Laedemoniorum rex rogatus, quam ob causam Sparta moribus non cingeretur? ostendit civis armatos et unanimes: « Hi, inquit, sunt Spartanae civitatis moenia. » Lycergus rogatus ab isidem; quo pacto hostium irapetum repellere possent? « Si pauperes, ait, manseritis, et contentiones mutuas deponatis. » Duo enim sunt quae rempublicam evertunt, scilicet immoedice divitiarum et concordiae neglectus. Scilicet habens octoginta filios, cum esset moriturus, fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitque rumpere. Id cum singuli recussissent, eo quod videretur impossibile, ipse singulae jacula exemit, atque ita facile confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordēs eritis, validi invictique manebitis; contra si dissidii et scditione distrahimini, imbecilles eritis et expugnati faciles. Testis Plutarchus in *Apophth. regum*. Scipio, expugnata Numantia, rogavit Tyresium principem, qua de causa ea prius invicta, jam capta et eversa esset? respondit Tyresius: « Concordia victoriam, discordia exitum praebuit. » Micipsa apud Sallustium jamjam moriturus, filios suos paterno monuit affectu, ut concordēs essent, eis aureum hoc memoriae reliquens: « Concordia res parvae crescunt, discordia autem maximae dilabuntur. »

3. NIHIL (supple, facientes) PER CONTENTIONES (Ambrosius legit, *irritationem*, quae scilicet alios ad contentiones et lites provocetis), NEQUE PER INANEM GLORIAM (Graece *κεκαυχῆσθαι*), SED IN HUMILITATE SUPERIORES SIBI INVICEM ARBITRANTES, — id est, ut Vatablus, sed per humilitatem quisque alium se superiorem et praestantiorē arbitretur et existimet. Notat S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.*, XVII, vel ut alii codices distinguunt, cap. XVI, *in vicem*: « Ne dum, inquit, se alter alteri humiliat, humiliatio iret alteri in elationem, bene utramque parlem admonuit dicens: Superiores sibi invicem arbitrantur, ut in cogitationibus cordis et ego mihi illum praeferam, et vicissim ille me sibi; ut, cum utraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore sublevetur. »

Dices: Quomodo vero et sine mendaculo ac falsitate aestimare potest quis alium se superiorem, quem longe videt in donis et gratis se esse inferiorē?

Respondet primo S. Thomas, II II, *Quaest.* CLXI, art. 3, humilem non debere, nec posse judicare suam virtutem aut donum majus, quod a Deo accepit (v. g. apostolatium) esse minus eo, quod revera minus alter accepit (v. g. donum linguarum), nec in eo debere se aestimare inferiorē esse alio: sed in eo quod considerans ea quae habet a seipso, in proximo vero considerans ea quae habet a Deo, merito hac ratione illum sibi praefert; quia dona, quae proximus habet a Deo, majora sunt iis quae quisque habet a seipso. Hoc enim est ingenium humilitatis, intueri seipsum et ea quae habet a se, suos nimirum defectus et vitia; in aliis vero considerare eorum bona et dona, quae habent a Deo: sicut et contrario superbia proprium est intueri sua bona et aliorum mala. Hanc humilitatis indolem clare quinq̄ue regulis explicat noster Salmeron, tom. IV, pag. 3, tract. VII, pag. 440.

Secundo, experientia constat, Deum ita sua dona distribuisse, ut neminem praeteriret, sed cuique etiam plebeio dotem aliquam contulerit, in qua alios praecelleret. Sic videmus in naturalibus, hos ingenio, illos judicio, alios praxi excellere; hos in eloquentia, illos in philosophia, alios in jurisprudentia; hos in fabricis, illos in pictoria, alios in pistoria; imo in una eadem arte, v. g. sculptoria, hunc in isto sculpturae genere, alium in alio prestare: adeoque si quis solerter singula dispiciat, neminem tam vilem inveniet, qui non a natura habeat indolem, habitatem et dexteritatem aliquam, qua in hac illius arte eminare possit, si illi sese addicat, in eaque se exerceat. Idem est in virtutibus rebusque supernaturalibus. Sic videmus alios Sanctos in charitate, alios in humilitate, alios in patientia, etc., excelluisse et excellere; imo in eadem patientia et charitate hunc in hoc genere patientiae et charitatis alios antecellere, illum in illo, alium in alio, ac ita deinceps: millenae enim et millenae sunt species ac varietates cujusque artis et virtutis.

Solerter hoc nota vit Aloysius Lipomanus in *Eozodi* cap. XXXVI, lect. 1: « Rarus est, inquit, qui non insigni aliqua gratia praeter alios donatus inveniat, qua maxime et Ecclesiam juvare possit et ministrare Christo. Hujus rei figura et exemplo mulieres quoque a Mose vocatae sunt ad fabricam tabernaculi, ut neren pilos caprarum, et quibus fierent saga sive corinae ad operiendum tabernaculum. »

Idem disertè docet S. Gregorius, hom. 10 in *Ezech.*, probatque primo, exemplo Petri et Pauli: Petrus enim innocens, Paulus sapientia praecelbat. Miratur, ait, Paulus in Petro et Apostolis omnibus innocentiam, cum ait: « Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia

Quomodo  
humilitas  
vero potest  
sibi illis  
inferius  
sentire  
superiorem?

Deum enim  
quae de  
dit de  
bona sibi  
quam in  
qua alius  
praecel-  
let.

Dei. » Vicissim Petrus miratur in Paulo sapientiam, cum ait: « Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. »

Secundo, idem docet exemplo regionum, quarum quaeque aliam alijus rei fertilitate excellit. « Hoc itaque, inquit, omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque uni cuilibet regioni fructus omnes tribuere: sed si una quilibet regio alterius regionis fructu non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Unde fit ut huic vini, alteri vero olei abundantiam tribuat; hanc multitudinem pecundum, illam vero ubertate fructuum abundet, ut, cum illa defert quod ista non habet, et ista reddit quod illa non detulit, per communionem gratiae sibi invicem etiam divise terrae conjunctae sint. Sicut ergo regiones terrarum, ita sunt mentes Sanctorum, quae dum vicissim sibi conferunt quod acceperunt, quasi fructus suos regiones regionibus impendunt, ut in una omnes charitate jungantur. »

Tertio, docet electos ea considerare in quibus ab aliis superant, ut se humiliant; reprobos vero considerare ea in quibus ipsi alios superant, ut se per superbiam elevent et pereant. « Sed inter haec, ait, sciendum est, quia sicut electi quique hoc semper se alios attendunt, quod a Deo melius acceperunt quam ipsi, ut eos sibi in cogitatione praetant, itaque illis in humilitate subalternant: ita reproborum mens nunquam considerat quid alter boni amplius quam ipse, sed quid boni ipse amplius quam alter habeat: neque enim pensat quae bona spiritus alter acceperit, et ipsi desint; sed quae bona ipsi et quae mala alteri adsint. Quod ergo divina bonitas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobos vertunt in augmentum elationis; et ex diversitate numerum a bono deficiunt, unde crescere in humilitatis bono debuerunt. » Si ergo illud in quoque consideremus, in quo excellit et eminet, vere et merito illum nobis superiorem arbitramur. Hinc S. Antonius, teste S. Athanasio, in quoque fratrum et sociorum illam, in qua eminebat, virtutem contemplantur, in eaque superari se videns, eandem amulati satagebat.

Tertio, ut recte D. Thomas supra ad 2: « Vere, ait, iudicamus et aestimamus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum. » Idem pulchre docet S. Augustinus *De Sancta virgine*, cap. XXIV, tom. VI: « Virgo, ait, ne se conjugata praefert, cogit occulta dona Dei, quae non nisi interrogatione tentationis etiam semetipsum cuique declarant: unde enim praeter alia scit virgo, ne forte ob mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio, conjugata vero sit? Unde, inquam, scit, ne forte ipsa nondum sit Thecla, jam sit illa Crispina? » Et copiosius, cap. XLVII: « Aliud est enim,

ait, pro veritate ac proposito sancto non consentire suadenti atque blandienti, aliud non eodem etiam torquenti et ferienti. Latent ista in facultatibus et viribus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur. Ut ergo quisque non infletur ex eo, quod videt se posse, cogit forte alios posse aliquid, quod ipse non potest: ita servabitur, non fallaci, sed veraci humilitate: honore multo praeventis et alterutrum existimantes superiores sibi. » Et rursum cap. LI: « Si Deus est custos virginitalis, et Deus est charitas, charitas ergo custos est: locus autem hujus custodis est humilitas. Facilius sequuntur Agnum, licet non quocumque ferit, certe quocumque potuerint coringati humiles, quam superbientes virgines. »

Denique adverte, tam ad charitatem et concordiam, quae proprie hic spectat Apostolus, quam ad omnem virtutem insignis esse hoc medium et fundamentum, si nulli te praesonas, sed potius omnibus in animo tuo te postonas. Et secundo si exterius ita te geras, ut ipsam opere demones, et in praxim redigas. Ita S. P. N. Ignatius, fundator Societatis nostrae, nobis inter prima, pauca et selecta documenta, haec commendavit:

*Nulli vel minimo quavis ratione repugnes; Cedere te potius, quam superare javerat.*

4. NON QUE SUA SUNT SINGULI CONSIDERANTES, SED QUE ALIORUM. — Possent haec verba referri ad proxima praecedentia de humilitate, ut quisque alium se superiorem arbitretur, quasi hic modum et medium eam acquirendi praescribat, nimirum ut quisque consideret non sua, sed aliorum bona et dona; ita enim facile arbitrabitur alium excellere et esse se superiorem. Secundo et magis accurate, accipias haec, ut si novum hic praecceptum vel documentum de modo charitatem et unionem fraternam acquirendi et fovendi, q. d. Ut charitatem mutuiam, ad quam vos hortor, fovatis, satagite ut quisque non sua, sed aliorum commodum

hinc enim est *concordia*, quaerat, consecratur: sagittarius enim, qui scopum considerat et spectat, non illum spectat, ut oculus pascit, sed ut eum sagitta contingat, consequatur et configat. Hoc ergo significat hic *considerare*, sive spectare per metalepsin, scilicet ut spectando commoda non nostra, sed proximorum, ea quaerere et procurare satagemus. Nota ex *can.* 36, negationem hic significare comparisonem; non enim negat, quin quisque suum etiam commodum quaerere possit: hoc enim exigit charitas ordinata, ut quisque magis se suaque commoda maxime spiritualia diligit, quam aliena; sed significat, non ita avare quaerenda esse commoda nostra, ut negligamus aliena. Unde Graeca et Syrus habent, *ne sua quisque spectetis, dicit xxi*, sed etiam que aliorum; imo significat consilii et charitatis esse, in rebus temporalibus, aliorum potius, quam suum commodum spectare; amicitia

enim et charitas, licet non præcipiat, permittit tamen et sæpe suadet, ut in bonis fortunæ et subinde vitæ, proximum nobis anteferaimus.

5. HOC SENTITE IN VOBIS, QUOD ET IN CHRISTO JESU. — Probat ab exemplo Christi tanquam a causa (hanc enim significat conjunctio causalis *enim*) exemplari, Christianis studendum esse humilitati et charitati, ut quisque non querat sua, sed aliorum commoda; quia nimirum Christus harum virtutum illustre nobis dedit exemplum sequæ earundem exemplar proposuit, quod Christiani omnes imitentur, quando ipsemet Deus existens se humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis, ut nostræ salutis consulere. Sicut enim Moses, *Exod.* cap. xxv. vers. ult., jussus est a Deo tabernaculum fabricare, juxta ideam sibi a Deo in Sina monte ostensam: « Inspice, inquit, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est; » similiter allegorice Christiani ideam Christi in monte Calvarie crucifixi perpetuo sibi proponere debent, ut secundum eam tabernaculum animæ sue virtutibus construant, et Deo in templum consecrent et adornent.

Dicit ergo: « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, » supple, sentitis, id est fuisse intelligitis, ait Anselmus. Sed « sentire » hic non significat intelligere: ad affectum enim pertinet, non ad intellectum; melius ergo sic: « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, » supple, sensum fuit. Unde Græcum *ἁποδοῦναι* tum active, ut significat, « sentire; tum potius et aptius passive veritas, ut significat, hoc sentiatur in vobis, quod et in Christo Jesu sensum fuit, *q. d.* Ille sensus, ille affectus humilitatis, misericordie, pacis, charitatis sit et sentiatur in vobis, quem in Christo fuisse comperimus. Unde Syrus clare veritatem, hoc sentite in vobis quod Jesus Christus, supple, in se sensit. Notant Chrysostomus et Theophylactus nos maxime excitari a Paulo ad humilitatem ex hoc capite, quod per tam famam similes Christo, similes Deo. Deus se humiliat, et tu, qui hominibus es, te exaltas? Fugis humilitatem quasi indecoram et vilem? Erras. Honorata est a Deo humilitas; insigne Dei est humilitas; illa ergo te honorabit et decorabit, quia faciet te conformem Deo tuo. Contra, superbia vilem te et abjectum, ut potest differre Deo, conformem vero Luciferi, efficit. Rursum, humilitas exaltavit Christum Deum tuum, deditque illi nomen, quod est super omnia nomen; multo ergo magis humilitas potens est et prompta te hominibus decorare et exaltare.

Audi S. Leonem, serm. II *De Resurrect.*: « Hoc, ait, sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, ejus humilitas nulli aspernanda divinum, nulli est erubescenda nobilitatem. Non enim in tantum provehi potest qualibet felicitas humana fastigium, ut aestimet sibi pendendum, quod manens in forma Dei, Deus non est arbitratus indignum. » Et mox: « Vestram in illo redamate naturam: quoniam

sicut ille paupertate divitiam non amisit, gloriam humilitate non minuit, aternitatem morte non perdidit: ita et vos eiusdem gradibus, eiusdem vestigiis, ut celestia apprehendatis, terrena despiciat. »

Præclare S. Gregorius, lib. XXIV *Moral.*, cap. xx et seq., in illud *Job* cap. xli, *Ipsa* (*Leviathan*), id est *diabolus* *est rex super universos filios superbiae*: « Audiant, ait, omnes: Deus superbia resistit, humilibus autem dat gratiam. Audiant omnes: Immundus est apud Deum qui exaltat cor suum. Audiant omnes: Quid superbis, terra et cinis? Audiant omnes Dominum dicentem: Discite a me quia mitis sum, et humilis corde. Ad hoc namque unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solum « ranciter edocendam, is, qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus! Quia enim partitioni nostræ originem superbia prebuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. » Deinde per insignes antitheses describit et opponit humilitatem Christi superbiae Luciferi, ita dicens: « Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus; Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Auctor mortis dicit: In celum ascendam; auctor vitæ ait: Repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Ille dicit: Super astra cæli exaltabo solium meum; iste humano generi a paradisi sedibus expulso, dicit: Ecce venio cito et habitabo in medio tui. Ille dicit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; iste dicit: Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis Ille dicit: Ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo; iste cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. » Et infra hæc ipsa prosequens concludit tandem signum prædestinationis esse humilitatem, signum vero reprobationis esse superbiæ: « Ille, ait, nihil aliud mentes sibi subditas docet, quam celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualis mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum alta elatione transire, ac sese contra potentiam Conditoris erigere; iste ad spūta, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, atque ad mortem veniens, membra sua admonet dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan iste rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod evidētissimum reprobatorum signum est superbia; et contra, humilitas electorum. Cum ergo

quam quisque habeat, cognoscitur, sub quo regere militat invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat, sub cuius servitio potestate rectoris. » Hucusque S. Gregorius præclare sensum tam Christi quam Luciferi describens.

6. QUI CUM IN FORMA DEI ESSET. — Commentarius Ambrosio adscriptus Græcum *ἴσχυς*, non formam veritatis, sed externam speciem, figuram, specimen: « Forma, ait, Dei quid est nisi exemplum quod Deus apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat? » *q. d.* Licet Christus homo subinde specimen dederit et quasi scintillas vibravit divinitatis, dum scilicet miracula fecit; tamen in terris non se gessit ut æqualem Deo Patri, sed se humiliavit, *str.* Ratio Ambrosii est: Quia, inquit, Apostolus loquitur de Christo Jesu, id est de Christo homine, scilicet post incarnationem, non ante. Hoc avide arripit Erasmus, additque hinc contra Arianos pro Filii divinitate non posse validum confici argumentum; nam et alii Sancti fecerunt miracula, itaque ediderunt specimen aliquid divinitatis, nec tamen fuerunt dii. Ita Erasmus hic et alibi ovala posuit Arianismi, quæ novi nuper Ariani exarserunt.

Verum dico, *ἴσχυς* hic et alibi passim non significare specimen, exemplum, argumentum, sed formam, que dat esse rei; forma ergo Dei est natura Dei, divinitas et Deus ipse. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Hilarius, Augustinus et passim Patres contra Arianos, ut videtur Erasmus. Imo ita explicat Calvinus, Beza et Vatablus. Et patet primo, quia, ut Chrysostomus, formam Dei opponit Apostolus formæ servi; atque forma servi est natura hominis; ergo forma Dei est natura Dei. Secundo, quia subdit Paulus: « Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, » quia scilicet revera erat æqualis Deo, ac consequenter erat ipse Deus; tertio, quia hoc est argumentum Apostoli: Christus cum esset Deus, ac proinde in æquali gloria cum Patre, ita tamen se dimisit, ut naturam servi, id est hominis, assumeret, fieretque servus Deo Patri obediens usque ad ignominiosissimam mortem crucis; quis ergo tam arrogans erit homo, ut alteri homini, qui natura sibi par est, se anteponat? Adde, ut recte argumentatur a sabbosius eodem hoc loco contra Erasmum, si forma est specimen, illud specimen aut verum est, aut tantum apparet et falsum: si apparet tantum, ergo Christus fuit impostor (quod absit) cum hoc specimen dedit, et miracula fecit propria virtute ad probandum se esse verum Deum Deique Filium: si verum, ergo ex eo vere probari et constare poterat divinitas Christi, Christumque vere esse Deum; secus est de Sanctis, qui nec propria virtute fecerunt miracula, nec ea fecerunt hæc fine, ut se probarent esse deos. Verum, ut dixi, *ἴσχυς* hic non speciem et formam acciden-

talem, uti vult Commentarius Ambrosii, sed essentialiē significat.

Ad argumentum Ambrosii respondeo, in Christo Jesu duas esse naturas: unam divinam et æternam, que fuit ante incarnationem, de qua h' Apostolus; alteram humanam et temporariam, quam accepit in incarnatione, de qua agit vers. seq. Itaque pronomen qui refert personam Christi, id est incarnationem in forma, id est in natura Dei: nam non loqui Apostolus da Christo homine patet, quia subdit: « Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, » *q. d.* Christus cum ante incarnationem esset Deus, Deoque æqualis, seipsum tamen postea exinanivit, quando per incarnationem formam servi accepit.

Ubi nota, *q. d.* cum esse causale, *q. d.* Quia in forma Dei erat Christus, ideo consequenter Patri æqualis fuit; forma enim, id est natura Dei, non est sicut forma, id est natura hominis: que licet una sit species, numero tamen est multiplex, et in aliis aliisque hominibus alia est et alia; nam natura Dei, sive divinitas, una prorsus est et individua ac simplicissima, ut nullus gradus, nullam divisionem, nullam multiplicationem admittat: sed ubicumque et in quibuscumque personis est, una et eadem prorsus est, tam specie, quam numero, ita ut persone, quibus illa communicatur omnino sint tum natura, tum æternitate, tum dignitate, tum perfectione æquales. Hinc Chrysostomus, Theophylactus et alii docent hoc loco doceri totum mysterium incarnationis Verbi: unam scilicet Verbi personam constare duabus naturis, divina et humana, quam assumpsit, et consequenter ex hoc loco refelli omnes hereticos, qui alterutram Christo ademerunt. Hic, ait Chrysostomus et Theophylactus, cedit Arius, qui Filium minorem Patre asseruit; cedit Photinus, qui Filium non formam, sed emergentem Patris esse docuit; cedit Sabellius, qui Filium non æqualem Patri, sed eandem cum Patre personam esse censuit; cedit Nestorius, qui duas personas in Christo posuit, ut alius esset Christus homo, alius Christus Deus; cedit denique Apollinaris, qui mentem et animam rationalem, ac consequenter humanitatem Christo ademuit.

Dices: Cur clare non dixit Apostolus: Qui cum esset Deus? Respondeo: Id dixit et amplius dixit; per formam enim significat gloriam et maiestatem Dei, eamque opponit formæ, id est infirmitati et vilitati humane. Unde alibi in terminis Filium vocat Deum, ut patet *Rom. ix, 3*; *1 Timoth. iii, 16*; *Coloss. ii, 9*, et alibi.

NON RAPINAM ARBITRATUS EST ESSE SE ÆQUALEM DEO. — Primo, « rapinam non est arbitratus, » id est, non fecit (ut, juxta *can. 36*, verbum mentale ponitur pro reali), dicere scilicet, vel arbitrari pro facere), quia non usurpavit alienum, se

quod suum erat, cum sentiret, diceret et *generet* se quasi æqualem Patri. *Secundo*, potest per hyppallagen sic accipi: « rapinam non est arripitum, » id est arbitrando non rapuit æqualitatem Dei, quia arbitrando sibi tribuit id, quod revera erat. *Tertio* et simplicissime sic, *q. d.* « Non rapinam arbitratus est (subaudi, se facere, » ut sentiret et diceret) esse se æqualem Deo, » ut tum dixit: « Ego et Pater unam sumus, » *Joan. x. 30*, quia quod sentiebat et dicebat sibi quæ attribuebat, id ipsum re ipsa erat: unde quod erat nature, non putavit esse rapinæ; ac consequenter sicut putavit se non rapere, ita revera non rapuit æqualitatem Dei. Ita Augustinus, tract. 17 in *Joan.*

*Nota*: *Rapina* hæc est arrogantia, vel arrogantie effectus; rapere enim alterius gloriam est eam sibi arrogare. Ita Augustinus supra.

*Secundo*, ut Chrysostomus et Vatablus, per metalepsin *rapere* significat rem aliquam, « Verbum ac si rapta esset, studiose et contentiose retinere, *q. d.* Christus non rapuit, non ambivit, ut Lucifer, *Isaia xiv. 13*, æqualitatem Dei, nec ut raptores solent, raptum (suum male sibi conciliatum non illud amittunt) studiose servavit et ambiciosè defendit; sed potius sponte, quasi legitimus dominus, deposuit, id est celavit sequè exinanivit, etc. Hoc enim exigit particula adversativa *sed*, quæ sequitur, cum ait: « Sed semetipsum exinanivit, » alioqui non tam adversativa erit quam explicativa, capieturque improprie *sed* pro *verumtamen*.

Pulchre S. Bernardus, hom. *super Missus est*, docet Luciferum cogitasse rapinam deitatis, non Christum: « Altissimus enim Deus Pater, ait, quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque angelum magnum, sed non quantum ipse, et ideo nec altissimum, solum autem Unigenitum, quem non fecit, sed genuit, omnipotens omnipotentem, altissimus altissimum, æternus æternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec injuriam. Recte ergo hic erit magnus, quia Filius Altissimi vocabitur. »

ESSE SE ÆQUALEM DEO, — *τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, esse æqualia*, id est æqualiter, Deo: nomen enim capitur pro adverbio, inquit Erasmus: quod Noster clare veritit, « esse se æqualem Deo. »

*Nota*: *Deo*, supple Patri; est enim hic nomen personæ; ille enim æquales sunt. Aliter ergo paulo ante capitur, ubi dixit: « Cum in forma Dei esset; ibi enim Deus absolute essentialiter trinus personis communem significat.

7. SED SEMETIPSUM EXINANIVIT, — *ἐκένωσεν, evacuavit*, et, ut Tertullianus legit, *exhaustit*, vel inanivit, id est inanem et vacuum effecit, ut qui erat plenæ majestatis, gloria, robore, adeoque plenitudinis totus enis, ea se evacuavit, et ex omni quasi ad nihilum se redegerit, factusque sit ex Domino

servus, ex Deo homo, ex creatore creatura. Sicut enim nomen creatoris est, *Ego sum qui sum*, sive *τὸ εὖς*, et oceanus ipsius esse; ita creaturæ nomen est, *Non sum*: ex se ipsa enim creatura nihil est; nam omne esse quod habet, a Deo habet. Illudque assidue a Deo accipit, adeoque si Deus in illam desinat influere suum esse et subtrahat manum suam, statim creatura in nihilum, unde venit, recidet et evanesceat: perinde ut sole abeunte, vel radios retrahente, lux omnis in hoc aere evanesceat.

*Nota* Theophylactus Christum in hac sui humiliatione non deposuisse, sed servasse suam altitudinem et majestatem, formam scilicet et naturam Dei; ita tamen, ut eam, humanitate assumpta, velaverit et occultaverit. *Secundo*, exinanivit se, non imperio, aut alia vi cogente, sed sponte sua. Ita Theophylactus.

Hanc Verbi exinanitionem graphicè describit S. Cyrillus, lib. *De Fide ad Reginas*: « Verbum, ait, humani generis amore incitatum, cum suapte natura exinanitionis non esset capax, servili forma suscepta, semetipsum exinanivit deitatisque; qui carnis commercium ignorabat, in causa carne induitur (Verbum enim caro factum est); qui ob naturam corporis expertem sub tactum non veniebat, palpabilis efficitur; qui principium nesciebat, secundum corpus initium sortitur; qui absolute perfectus erat, incrementa sumit; qui converti non potest, ad meliora progressus facit; qui dives, in diversorio gignitur; qui celum nubibus tegit, fascis involvitur; qui rex erat, in præsepi deponitur, quem hesterno die pro nostra salute, immaculato puerperio, Maria virgo mater effudit; Maria, inquam, genitrix vite, mater pulchritudinis, magnificentie Lucisque pacens. » Exinanitum est ergo Verbum per assumptionem inanitatis, id est humanitatis, in qua tamen retinet plenitudinem divinitatis, ut ait Cyrillus et Gregorius Nyssenus citatus in Concilio Ephesino, tom. II, cap. vii: « Rex regum, ait, Dominus dominantium, servili forma induitur, omnium judex mundi hujus dynastis vestigialis efficitur; qui complexu suo ambit omnia, locum in diversorio nullum invenit, sed in bratorum animantium præsepi reclinat; demum mortem perperit. Vita degustat mortem; judex in prætorium abducitur; omnium viventium Dominus, judicis sententiæ subjicitur; omnium cœlestium virtutum rex, carnificæ manus experiri non gravatur. Hoc humilitatis exemplum, hunc abjectionis modum nos expendere Apostolus monet. » Et S. Cyprianus, tractatu *De Eleemos*: « Hominis filius esse voluit, ut nos filius Dei faceret; humiliavit se, ut populum qui prius jacebat, erigeret; vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret; servivit, ut ad libertatem servientes extraheret; mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. »

Hujus humiliationis Christi typus fuit Eliseus,

qui se corpori pueri mortui coaptans, cum suscitavit, *IV Reg. iv*. De quo audi S. Augustinum, serm. 11 *De Verbis Apostoli*: « Venit ipse grandis ad parvulum, salvator ad salvandum, vivus ad mortuum. Et quid fecit? Juvenilia membra contraxit, tanquam semetipsum exinanens, ut formam servi suscipere: parvum se parvo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis nostre conforme corpori gloriæ suæ. Sicut ergo ab Eliseo suscitatus est mortuus, sic a Christo justificatus est impius. » Audi S. Bernardum, serm. II *super Missus est*: « In Christo, ait, agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo sublimitas, profunditas plana, lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed angelos fecientem; vagientem, sed miseris consolantem. Videas, si attendas, tristitiam lætitiæ, pavorem confortans, mors vivificans. » Hinc infert idem Be. uardus, serm. I *De Nativitate*: « Quid magis indignum quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum celi parvulum factum, ultra opponat homo magnificere se super terram? Intolerabilis impudentia est, ut, ibi se exinacivit majestas, vermiculus infeliter et intumesceat. Hoc ergo est propter quod exinanivit se formam servi accipiens, qui in forma Dei, Patri æqualis erat: sed exinanivit majestatem et potentiam, non bonitatem et misericordiam. Quid enim ait Apostolus? Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei. »

FORMAM SERVI ACCIPIENS, — id est naturam servorum, puta humanam, accipiens factus est homo, factus est servus.

*Nota primo*, Christum ratione personæ suæ divine esse Filium Dei, sed ratione humanæ naturæ quam assumpsit, esse servum Dei.

*Nota secundo*: Hæc servitus omnibus creaturis communis, adeoque creaturæ, qua talis est propria, in duobus consistit: *Primo*, quod creatura tota sit subiecta dominio Dei, utpote quæ totum suum esse a Deo, perinde ut radius a sole, accipit et continuo accipit. *Secundo*, quando creatura rationalis est, obligatur in omnibus Deo quasi Domino parere, eum revereri et colere: quæ duo Christo, ut homo est, competunt, ut cum aliis docet Franciscus Suarez, III *part.*, disp. XLIV, sect. 1. Sic ergo in Christo natura serva, id est humana, evecta est ad hypostasim filii, et per eam instar filii sui habet ad hereditatem paternam. Itaque Christus homo est servus est, et filius: servus secundum humanam naturam in se nude spectatam; Filius, quatenus eadem natura humana in hypostasi filii subsistit: vere enim hic homo est Filius Dei.

*Nota tertio*: Christus non est servus servitute legali, vel pœnali, quæ scilicet extrinseca et

superaddita est natura, qua quis sit servus, vel ob culpam, ut bello justo capti, vel ob emptionem, vel quia nascitur ex mancipio, puta matre serva: partus enim, vel fetus, sequitur ventrem. Et hoc sensu Adrianus Papa in Concilio Francofordiensi, et alii Patres, imo S. Joannes in *Evangel.* cap. vii, vers. 33, negant Christum esse servum; non autem negant Christum, ratione naturæ creatæ quam assumpsit, esse servum.

*Dices*: Ad *Hebraeos* III, 5 et 6, Apostolos Mosem quasi servum opponit Christo quasi filio.

Respondeo: *Merito*, quia Moses merus est servus, Christus vero ita est servus, ut tamen sit et filius Dei naturalis, ut dixi.

Hinc patet *quarto*, falsam esse interpretationem Marcionis, qui dicebat Christum accepisse formam servi, quando hinc per *factus lavit pedes discipulorum*, hoc enim est officium servorum; et commentarii Ambrosio ascripti, quæ sequitur Erasmus: « Christus, ait, accepit formam servi, id est speciem hominis nocentis, cuius personam pro nobis gessit, dum flagellatus, damnatus, crucifixus est: servi enim ex peccato fiunt, sicut Cham, filius Noe, qui primus merito servi nomen accepit. » Sed hoc recte refutat S. Chrysostomus. Aliud enim, inquit, est opus servi facere, aliud formam servi accipere: forma enim, ut dixi, naturam significat, non similitudinem, non officium. Unde se explicans Apostolus subdit: « Et habitu inventus, » non ut peccator, non ut latro damnatus ad crucem, sed ut homo.

IN SIMILITUDINEM HOMINIS FACTUS, — id est similibus hominibus factus. Similitudinem accipit, non accidentalem, non apparentem et phantasticam, ut voluerunt Manichei; sed substantialem, qua omnes homine dicuntur esse similes specie, sui natura humana. Ita D. Thomas, III *part.*, *Quest. V*, art. 1, ad 2. Sic dicitur, *Gen. v. 3*, Adam ad imaginem et similitudinem suam genitum esse filium, quia, scilicet, genuit Seth sibi in natura humana consimilem. Sic *Colos. 1. 15*, filius dicitur imago patris. Et I *Cor. xv. 49*, dicitur gestare imaginem hominis terreni, quia quoad naturam sumus Adæ terreno similes, cum eoque idem specie corpus gestamus.

ET HABITU INVENTUS UT HOMO. — Pro «habitu,» greecè est *εἶδος*, id est *schemata*, figura et specie externa, *q. d.* Sicut Christus assumpsit internam formam et naturam hominis, ita quoque externam hominis speciem et figuram habuit; talique schemate fuit et corporis forma, quali nos sumus. Ita Chrysostomus, Theophylactus.

*Secundo*, Ambrosius per *schemata* accipit externam conversationem.

*Tertio*, S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quest.*, *Quest. LXXIII*, tom. IV, *schemata* intelligit habitum predicamentalem, quo quis dicitur hoc illoque habitu indutus et vestitus: Verbum enim naturam humanam quasi habitum et vestem assump-

sit et induit. « Hoc ergo nomine *habitus*, ait Augustinus, satis significavit Apostolus, quemadmodum dixerit: In similitudinem hominum factus, quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est hominem, quem sibi unicus quodammodo atque conformans, immortalitati eternitatisque sociaret. » Et infra: « Quo nomine (*habitus*) oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste mutantur, quanquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit; sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ne mutatus intelligatur Deus humana fragilitatis assumptor, electum est, ut græcè *εἴπων*, et latine diceretur *habitus* illa susceptio. » Ita S. Augustinus, quibus pulchre docet, quod incarnatione Verbum non ita factum sit caro, ut fuerit transformatum in carnem, id est hominem, uti volebant Eutychiani: sicuti dum aer fit aqua, mutatur et convertitur in aquam; sed quod ita factum sit caro, sicut homo fit vestitus, et sicut ferrum fit ignitum, et sicut aurum fit statua vel imago aurea; quia manens Verbum quod erat, ad se humanitatem assumpsit, eamque quasi vestem substantialem induit. Dico *substantialem*, nam in hoc est dissimilitudo incarnationis et vestitionis, quod uno incarnationis sit substantialis, vestitionis vero sit accidentalis. Sic sensus aptus est, et apposite respondet Græco; *primus* tamen magis generalis et genuinus est; vult enim dicere Apostolus, Verbum æternum et invisibile ita assumpsisse formam et naturam hominis, ut illam hominis esse spectandam objecerit, et per speciem ac figuram corporis humani a se assumpti hominum oculis visibilis apparere viderique voluerit, itaque ab hominibus visus et inventus sit ut homo.

Ut homo, — id est sicut quisvis alius et communis homo, cum tamen Christus esset singularis homo, adeoque Deus homo, ait Chrysostomus. *Secundo*, simplicitas, a ut homo, — id est *verus homo*. Notandum enim ad verba similitudinis, ut, sicut, quasi, super non similitudinem sed veritatem Hebræis significare. Sic *Joan.* 1, 14, dicitur: « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, » id est vidimus Christi gloriam tantam, quantum decebat eum habere, qui vere Patris erat unigenitus. Ita Theophylactus. Et hoc sensu ruit argumentum Marcionis: Christus, inquit, tantum habitu inventus est ut homo, ergo vere non fuit homo: contrarium enim inferendum erat, videlicet: ergo vere fuit homo, ut patet ex dictis.

8. HUMILIATIVI SEMETIPSUM FACTUS OBEDIENS USQUE AD MORTEM, MORTEM AUTEM CRUCIS, — *q. d.* Humiliavit se per obedientiam, sive dum obedivit Patri usque ad mortem crucis.

Nota *primo*: Christus humiliavit se, et obedivit non qua Deus est et Verbum, ut volebant Ariani;

sic enim Patri non est subditus, cum sit illi *par*, sed quatenus formam servi accepit, seu quatenus est homo.

Nota *secundo*: Christus, qua homo et servus est Dei, vere et proprie Deo fuit obediens; cum autem vera et propria obedientia non sit, nisi ubi intervenit præceptum Superioris, quod est quasi formale objectum obedientie, ut D. Thomas et Scholastici docent, II II, *Quæst.* CIV, sequitur Christum a Patre: cum alia præcepta (hoc enim innuit vox *usque*), tum præsertim moriendi in cruce præceptum accepisse, cui humiliter se subdidit Christus, illudque accepit, « factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Nimirum tam grave et durum præceptum accipere voluit Christus, ut perfectum nobis daret tam nobilis virtutis, obedientie scilicet, exemplum; ne quis queri possit sibi a suis Superioribus dura nimis præcipi, sed sciat et soletur se quisque cogitans Christum longe durius a Patre subeunde crucis mandatam accepisse.

Moraliter de fuga superbiæ et amore humilitatis vide hic Chrysostomum, in *moralium homilie* 7.

Nota *tertio*: Christus quatuor habuit quasi formas et stemmata, quæ Ezechiel, cap. 1, representat per quadriformes Cherubim. Cherubim enim quatuor habebant facies, scilicet hominis, aquilæ, vituli et leonis. Facies hominis representat humanam Christi naturam, facies aquilæ representat divinam Christi naturam, facies vituli representat Christi sacerdotium et sacrificium, facies leonis representat Christi potestatem regiam, quam adeptus est resurgendo ex mortuis et ascendendo in celum. Hæc quatuor formas et quasi stemmata Christi clara hypotyposi hic signat Apostolus: *primo*, formam divinam, cum ait: « Qui cum in forma Dei esset; » *secundo*, humanam, cum subdit: « Habitu inventus ut homo; » *tertio*, pontificiam, cum addit: « Itumiliavit se usque ad mortem; » *quarto*, regiam, cum concludit dicens: « Propter quod et Deus exaltavit illum. » Easdem notat Apostolus, *2 Cor.* 1, 3, ut ibi dicam.

Hinc pie et christiane S. Augustinus, *epist.* 36: « Si quæras, ait, quæ via sit ad obtinendam veritatem, quidque primur sit in religione et disciplina Christi? respondebo: *Primum* est Humilitas. Quid *secundum*? Humilitas. Quid *tertium*? Humilitas, et quoties interrogabis, toties hoc dicam. Sicut enim Demosthenes in eloquentia primas, secundas, tertias, etc., dedit pronuntiationi: ita easdem ego dabo humilitati in schola Christi. »

Et S. Leo, *epist. ad Dioscorum*: « Tota, ait, Christianæ sapientie disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium crucis, omni fortitudine elegit et docuit. »

9. PROPTER QUOD ET DEUS EXALTAUIT ILLUM, ET DONAVIT ILLI NOMEN, QUOD EST SUPER OMNE NOMEN.

— Nota *primo*, — *propter quod* non consequentiam, vel eventum, ut vult Calvinus, sed meritum et mercedem significare: hoc enim significat proprie *propter*; ut cum dico, propter laborem diurnum Petrus accepit decem asses, significo Petrum labore diurno meruisse et accepisse mercedem decem assium. Illud etiam significat *voceula et*, quæ hic non habet vim copulandi, ut patet (nihil enim copulandum præcessit), sed *ἀνεπίκλητα*, id est redditionem et retributionem mercedis significat, ut sit idem quod *vicissim*, *q. d.* Quia Christus ita se humiliavit, hinc vicissim Deus quasi compensans, et reddens illi justum et congruum tantæ humilitatis præmium; exaltavit illum.

Hinc *secundo* patet, Christum non tantum nobis gratiam et gloriam, sed et sibi quædam meruisse, quod licet neget Calvinus, clare tamen hic asserit Apostolus, dicens: « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, » *q. d.* Christus, propter tantam sui humilitationem usque ad mortem crucis, meruit exaltari, ut nomen, non nostrum, sed Christi ipsius exaltaretur et celebraretur in celo, in terra, in inferno. Idem patet *Apocalyp.* v, 12, « dignus est Agnus, qui occisus est, accipere (ab omnibus hominibus, ut scilicet omnes homines agnoscant et laudent ejus) virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. »

Nota *tertio*: Christus duo sibi meruit: *Primum* est gloria, non animæ, quia illam habuit a primo sue conceptionis instanti, sed corporis. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, Beda, Basilus, lib. IV *Contra Eunomium*; Augustinus, lib. II *Contra Maxim.*, cap. v, et alii. Id significat Apostolus per vocem « exaltavit, » græcè *ὑψώθη*, id est, ut Ambrosius, *superexaltavit*, ad vitam scilicet et gloriam immortalem super omnes angelos et celos, statuens Christum ad dexteram Dei. Hinc exaltatio hæc sex excellentias complectitur, quas sibi meruit Christus. *Primo*, ut recte S. Athanasius, *serm.* 2 *Contra Arianos*, esset resurrectio; quia enim Christus obediens fuit ad mortem, hinc meruit ut primus a morte resurgeret, utque moris victor eam in se et in nobis aboleret. *Secundo*, meruit sibi dotes corporis gloriosi, ut, quia corpus suum ita in passione dilaniandum dedit, hinc pro mercede acciperet in resurrectione corpus gloriosissimum, plane scilicet immortale, impassibile, fulgidissimum, agillimum et subtilissimum. *Tertio*, meruit evhi super omnes Sanctos et Angelos. *Quarto*, meruit sessionem ad dexteram Dei Patris. *Quinto*, meruit potestatem judicariam, ut fieret iudex vivorum et mortuorum. *Sexto*, meruit regnum celi et terre, ut quasi rex et Dominus mundi imperet angelis, hominibus omnibusque creaturis. Ubi

nota: Licet hæc exaltatio et sex jam dicte excellentiæ, quas exaltatio illa complectitur, Christo debiti essent ratione unionis hypostaticæ, tamen alio quoque titulo, videlicet ob merita sue humilitatis et obedientiæ, Christo date fuerunt.

*Secundum*, quod sibi meruit Christus, est nomen super omne nomen: a quo jam dicam.

Et DONAVIT ILLI NOMEN, QUOD EST SUPER OMNE NOMEN. — *Primo*, nomen Dei et Filii Dei dedit Pater Christo: hoc enim nomen solum proprie est nomen super omne nomen creaturarum quarumlibet, ad quod, ut sequitur, omnes genui declinant, ut illud adorent! Ubi nota: *Nomen* metonymice capitur pro re nomine significata: nomen ergo Dei, est ipse Deus et divinitas, cujus majestas, potentia et gloria ab omnibus et super omnia nominatur et celebratur. Hinc *Apost.* v, 12, dicit Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem, et resurrectionem: constat enim eam habuisse a primo instanti incarnationis sue; sed quod eam accepit in nobilitate et fama apud homines in toto mundo, ut nimirum omnibus innotesceret, omnesque crederent Christum esse verum Deum Deique Filium, eamque ut talis coheret et celebraret: sic enim sepe in Scriptura res dicitur fieri cum innotescit, ut verbum reale pro mentali vel verbali sumatur, juxta *can.* 46. Ita S. Ambrosius, Theodoritus, Anselmus, D. Thomas, *q. d.* inquit Theodoritus: humiliando se adeo Christus se sumque quod habebat nomen (Deus) non perdidit, ut etiam illud idem nomen acciperet quæ nomen acquisiveritque humanitati suæ. Idem ergo vobis, o Christiani, eveniet, nec vos humiliando honorem vestrum perdetis aut minuetis, sed accipetis et accumulabitis.

Vere pulchreque S. Bernardus, *serm.* 34 in *Cantica*: « Humilitas, ait, in honore, honor est ipsius honoris et dignitas dignitatis: omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dignatur. Si egregius es, esto tamen de grege; si omnibus præses, non dedigneris subesse. » Et *serm.* 2 in *capite Jejunii*: « Quid tu inflaris, ait, o homo, quid extolleris sine causa? quid illum sapis et oculi tui omne sublime vident? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis humiliare, et apprehenditis. » Et *versum*, *serm.* 3 *De Ascensione*: « Sola est humilitas, quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. Hæc via, non est alia præter ipsam. Qui alter vadit, cadit potius, quam ascendit. O perversitas! o abusus filiorum Adam! quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt et descendunt difficiliter, parati ad honores, ad celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandas. Ad sequendum autem te, Domine Jesu, vix inveniuntur, qui vel trahi patiuntur, qui duci velint per vias mandatorum. »

Secundo, nomen, id est famam et nominis celebratam, ut Christus tanquam Messias toto orbe sit notissimus, nominatissimus et amosissimus.

Tertio, et proxime, « nomen » hoc est illud quod explicat, cum subdit mox : « Ut in nomine Jesu omne genu flectatur. » Nomen ergo Jesu, id est titulum salvatoris et redemptoris, per humilitatem et obedientiam usque ad mortem meruit et accepit Christus, quia per mortem crucis, factus est salvator et redemptor mundi; licet enim nomen Jesu in circumcissione sit illi impositum, non tamen tunc actu proprio et perfecto fuit salvator, sed tantum destinatione et inchoatione: tunc enim destinatum et declaratum fuit illum fore mundi salvatorem, quando ammirum pretium sanguinis sui pro salute nostrae in cruce persolveret; ideoque nomen Jesu non a presenti, sed a futura salute Christo in circumcissione inditum est: sic enim nomina multis sunt imposita, quae portenderent rem futuram. In cruce ergo consummavit Christus salutem et redemptionem nostram, ac consequenter in cruce factus est actu perfectus salvator et redemptor, ideoque nomen et titulum Jesu accepit, ut omnes eum nominent, celebrent, invocent tanquam eum, id est salvatorem et redemptorem suum, ac consequenter tanquam verum Deum Deique Filium, ac Messiam patribus promissum. Haec enim omnia includit nomen salvatoris et redemptoris, hoc est nomen Jesu. Igitur Jesu nomen non tantum nomen, sed et rem nomine significatam, vel connotatam hoc loco significat.

Christus in cruce actu et propria accepit nomen Jesu.

Vers. 10. Cyro fuit ty-pus Christi.

10. UT IN NOMINE JESU OMNE GENU FLECTATUR, COELESTIUM, TERRESTRIUM ET INFERNORUM. — Nota primo: Alludit Paulus ad Isaia XLV, 1, ubi cum Isaia cepisset vaticinari de Cyro et Judaeorum e Babylone liberatione, quasi de antitypo Christi, qui futurus erat liberator omnium gentium e potestate diaboli et inferni: « Haec dicit, ait, Dominus Christo meo Cyro, etc.; mox vers. 8, more prophético ad antitypum Christum, quem intendebat, avolat: « Rorate, ait, oeli desuper, et nubes pluant justum: aperietur terra, et germinet salvatorem, et justitia oriatur simul, » q. d. Ego Isaia, oro te, o Domine, ut e caelis mittas Spiritum Sanctum, qui veniens in uterum Virginis eam fecundet, utque e terra hac nostra in B. Virgine accipiat materiam, ex qua formet Christi corpus, ut sic generetur Christus, justus, inquam, ille per antonomasiam, qui omnes justificat.

Et rursum hunc salvatorem describens, vers. 14: « Tantum, inquit, in te est Deus (in tua, o Christe, humanitate sola quasi in templo habitat hypostaticè divinitas, inquit Chrysostomus, Theodorotus, Procopius ), et non est absque te Deus. Veretur es Deus absconditus, Deus Israel salvator. » Appellatur salvator, id est Jesus, propter assumpti corporis absconditum et arcuatum sacra-

mantum, ait Hieronymus. Ue de Septuaginta verunt, tu enim es Deus, et nescio quis; sed per mortem et crucem resurgens, qui absconditus erat, innotuit, totoque orbe nominatur, celebratur et adoratur. Unde subdit Isaia, vers. 28: « In me melipso juravi, egredietur de ore meo justitia verbum, et non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu (quod hic ait Omne genu flectetur) et jurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicit: 'Iese sunt justitiae et imperium: ad eum (Christum) venient et confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino (per fidem Christi) justificabitur et laudabitur omne semen Israel, » q. d. Illud quod ego Deus semel protuli verbum justum, non erit irritum, sed re ipsa complebitur, ut scilicet omnes Gentes me Christum Deum, Dominum et salvatorem agnoscant, mihi genu curvent, me adorent, per me jurent, non per idola, et Domino confidentes, dicant: Mox sunt justitiae Evangelii, et neum est imperium Christi: non ad solos Judaeos, sed ad nos Gentes quoque pertinet regnum, id est Ecclesia et salus Christi. Ita Hieronymus ibi.

IN NOMINE JESU. — Nota primo, nomen Jesu non esse Syrum a radice נִסְרָא, id est sanare, nec Graecum, ἰησοῦς, id est a curando et sanando dictum, quasi ἰησοῦς, sive Jesus, idem sit, quod ἰατρῆς, id est medicus, ut velle videtur Epiphanius, haeresi 26: « Jesus, inquit, Hebraea lingua curatur appellatur, aut medicus et salvator. » Sic et ab ἰσῶ nomen Jesu deducit Basilus, in Asceticis, et Cyrillus, catechesi 10, sub finem. Verum haec non est propria etymii ratio, sed tantum accommodata adaptatio. Sicut Nazianzenus, orat. 2 De pascha, et Tertullianus, lib. Contra Judaeos, cap. X, ille brevis pascha a Graeco πάσχα, id est a patiēdo, deducit, alludendo scilicet et accommodando verbum Graecum nomini Hebraeo. Multo minus nomen Jesus est nomen tetragrammaton יְהוָה inserta littera ה, ut voluit Oshander, nam tetragrammaton per יהוה in fine, יהוה per ה in fine scribitur, nec יהוה יהeshu (illud enim Hebraice nullam habet radicem), sed יהוה ישוע Jeschu, Jesus dicitur.

Vera ergo etymologia nominis Jesu est a radice יֵשׁוּעַ, id est salvavit, unde enim dicitur ישוע יהeshua Hebraice, graece ἰησοῦς; latine Jesus, id est salvator et ipsa salus: alludit enim nomen Jesus suis punctis et sua terminatione ad abstractum, ישועו יהeshua, id est salus, quasi dicas: ipsa salus et salvator per essentiam. Hanc esse etymologiam patet Matth. 1, 21: « Vocabis inquit angelus ad Joseph) nomen ejus Jesum; ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. » De nomine Jesu vide plura apud Angelum Carnium in Nominum. novi Testam., et apud Galatium, lib. III, cap. XX.

Nota secundo, nomen Jesu esse nomen super omne nomen: « Non enim est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos sal-

Nomen Jesu venerabilis est tetragrammaton, quia hoc nomen Jesu verum divinum est.

Nomen est idem cum tetragrammaton.

Jesu idem quasi salvator.

Non est aliud nomen sub celo datum hominibus.

os fieri. » Et ratio est, quia nomen Jesu est nomen proprium Verbi incarnati; sicut enim nomen meum est Cornelius, alterius Petrus, tertii Paulus: ita Verbi incarnati, sive hujus hominis qui est Filius Dei, nomen proprium est Jesus, ut docet S. Augustinus, tract. 3 in epist. I Joan., tom. VII. Significat ergo nomen Jesu totam incarnationis et redemptionis Christi economiam, in qua praeter ceteris operibus a Deo creatis aut factis relucet et concurrunt Dei sapientia, potentia, bonitas, majestas omniaque Dei attributa.

Non bene, inquit ille, conveniunt, nec in una deo morantur Majestas et amor;

haec tamen in incarnatione et in Jesu sororiantur, optimeque quasi sorores conveniunt; quid enim est Jesus, nisi summa majestas et summus amor, a quo salus, gratia, gloria, bona omnia et in anima et in corpore, tum in haec vita, tum in futura illa et beata per omnem aeternitatem nobis obveniunt.

Hinc sequitur tertio, nomen Jesu esse majus, sanctius, venerabilius, quam sit nomen Dei tetragrammaton יהוה absolute, et ineffabile, quod vulgo dicitur Jehova, et absolute, quam sit nomen Dei, ut erudite probat Abulensis. Quest. VII, in xx cap. Erosi. Et ratio fundamentalis est, quia Deus significat Deum, qui dominus et creator est, Jesus vero significat Deum, qui salvator et redemptor est; sicut ergo majus fuit beneficium et opus redemptionis, quam creationis; ita majus est nomen Jesu, sive Redemptoris, quam sit nomen Dei, sive Creatoris. Unde canit Ecclesia in benedictione cerei paschalis ex S. Gregorio in Pastoralis: « Nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset, » q. d. Omnia, quae propter nos fecit Deus, sive creatio, sive navitas, sive quidvis aliud, frustra fuissent, nec nobis profuissent, nisi fuisset subsecuta redemptio.

Adde, nomen Dei redemptoris includere nomen Dei creatoris, non contra: redemptio enim praesupponit creationem, non contra. Quod ut clarius videas, accipe has antitheses. Jehova significat eum, qui est, reque idem est eum eo nomine, quo se nominat Deus, Exodi III, dicens: « Ego sum, qui sum. » Jesus significat eum, qui creator est et perditus salvat, vivificat, justificat ac beatos facit. Jehova fons est et principium entis; Jesus fons est et principium gratiae, gloriae et salutis. Jehova fuit contritor et debellator Pharaonis et Aegypti: Jesus contritor est diaboli et inferni. Jehova Judaeorum et veteris Testamenti; Jesus Christianorum et novi Testamenti est legislator. Jehova Hebraeos per mare Rubrum duxit in Chanaan; Jesus per sanguinem suum, quo baptizatur et abluuntur, deducit nos in coelum. Hinc nomen Jesu in nomine Jehova representabatur, et Jehova erat quasi enigma Jesu, ac vicissim nomen Jesu est declaratio nominis Jehova; imo si

litteras spectes, nomen Jehosua, id est Josue (quod idem est eum nomine Jesu), includit litteras omnes nominis Jehova, aliasque proprias superaddit, ut ostendi Num. XIII, 17. Unde infert Abulensis paulo ante Quast. VII citatam: « Magnus, ait, peccatum est accipere nomen Jesu in vanum, quam istud nomen Deus. » Adidde novam rationem: « Quia Ecclesiae communis et laudabilis consuetudo magis honorat illud nomen Jesu, quam nomen Deus. Unde auditio nominis Jesu, devoti fideles aut caput inclinant, aut genua flectunt; quod non faciunt auditio nomine Deus: qui ergo contra hoc offendit, dehonorando nomen Jesu, magis peccat, quam si dehonoret nomen Deus. » Ita Abulensis.

Unde S. Augustinus, lib. III Confess., cap. IV, sibi etiam haereticis hoc nomen semper in veneratione et delicis fuisse testatur, cum ait: « Hoc nomen salvatoris mei Filii tui in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum pie liberat et alle retinebat; et quicquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litterarum et expolitum et veridicum, non me totum rapiebat. »

Hinc sequitur quarto, nomen Jesu cum sit proprium et adequatum Verbi incarnati, omnia alia Christi nomina (qua plurima et prestantissima ei tribuit sacra Scriptura) complecti et transcendere, ut sit nomen super omne nomen. Quod pulchre docet S. Bernardus, serm. 13 in Cantica: « Omnia, inquit, nomina Dei ad pietatis gratiam, aut potentiam majestatis sonant. Nomen potentiae est Emmanuel, nomen pietatis est Jesus. Rursum Propheta inquit: Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Primum, tertium, quartum majestatem sonant, reliqua pietatem. Quod horum ego effunditur? Profecto majestatis ac potentiae nomen in id, quod est pietatis et gratiae, quodammodo transfunditur, ipsumque effunditur abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum. Nomen (verbi causa) quod Deus est, nonne in id, quod est Nobiscum Deus, hoc est, in Emmanuel, inquit et deficit? sic Admirabilis in id, quod est Consiliarius; sic Deus et Fortis in ea, quod est Pater futuri saeculi et Princeps pacis. » Et infra: « O nomen benedictum! o oleum usqueque effusum? Quousque? De celo in Judaeam et inde in omnem terram excurrit, et de toto orbe clamat Ecclesia: Oleum effusum nomen tuum. Effusum plane, quod non solum coelum terrasque perfudit, sed aspersit et inferos, adeo ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur et dicat: Oleum effusum nomen tuum. »

Moraliter ibidem S. Bernardus docte et pie ostendit nomen Jesu praestantissimum vocari et esse oleum, quod aquae, vino aliisque liquoribus supermatat, ob triplicem analogiam: « Oleum, inquit, lucet, pascit, ungit: fovet ignem, nutrit

Nomen Jesu proprium est ab eo nominatum Jesu quia nomen.

Nomen Jesu proprium est Verbi incarnati: alia nomina alia nomina in se includit.

Nomen Jesu proprium est Verbi incarnati: alia nomina alia nomina in se includit.

Nomen Jesu est oleum quia lucet, pascit, ungit.

carum, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine. Lucret prædicationem, pascit cogitationem, invocatum lenit et rigidum. El perecuramus singula. Unde putas in toto orbe tanta et tam subita fidei lux, nisi de prædicatione Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis et in lumine isto videntibus lumen, dicit merito Paulus: Fuisistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?

» Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? quid ita excruciat reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto perfunditur. Insuperius est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi tibi legero Jesum. Si disputes, aut confiras, non sapit mihi, nisi sonnerit tibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubillus.

» Sed est et medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Jesus et inde salus! in os; et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, eurrat in super ad laqueum mortis desperando? nonne si invocet nomen vite, confestim respirabit ad vitam? Qui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis, duritia (ut assolit) cordis, ignavia torpor, rancor animi, languor acedia? » Et paulo inferius subdit: « Nihil ita iræ impetum cohibet, superbie tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxurie fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanat et roborat adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonerit Jesus. Semper tibi in sinu sit, semper in manu quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. Denique et invitatis: Pone, inquit, me signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. »

UT IN NOMINE JESU LUMINE GENU FLECTATUR. — Id est, ut omnes genua curvando, Jesu nomen, id est Jesum, adorent. Hinc patet eadem adoratione, qua adoratur Verbum sive Filius Dei, adorandum etiam esse hunc hominem, qui dicitur Jesus Christus: Jesus enim significat hunc hominem, qui simul est et Deus et homo; cum adoramus Verbum incarnatum, adoramus pariter humanitatem et omnia que Verbo inexistunt. Ita Theodoretus, Ambrosius et alii.

Porro dupliciter coli potest nomen Jesu, æque Æo imago quælibet. Est enim ipsum quasi imago, [ut docet Aristoteles, lib. Perihorm., cap. 1], et representatio rei nominatæ, sive personæ quæ no-

mine hoc significatur. Prior modus est, si mens feratur non in nomen, sed in Christum nomine representatum, et tunc proprie et primario colitur Christus, æque ac honor imaginis, ut imaginis, fertur in prototypum. Posterior, si ipsum nomen veneremur in se, ob respectum tamen quem habet ad rem nominatam. Sic enim aliqui, et honos debetur. Potest enim res que ad religiosum alicujus cultum refertur, aliquo etiam modo ipsamet coli, propter id ad quod refertur, vel quod representat. Sic enim osculamur ipsas imagines Christi et Sanctorum, eo quod sint ipsorum imagines. Ita S. Thomas, Opusc. LX, cap. 6; Scriverius in cap. II Josue, Quæst. XVI; Franciscus Suarez, III part., Quæst. XXV, art. 3, sect. 6, ubi hæc adorationem vocat respectivam et veneratoriam, hoc est venerationem, quam huic nomini, æque ac imagini exhibemus per capitis inclinationem, osculum, aliudve externum venerationis signum: licet Gabriel Vasquez, lib. II De Adoratione, disp. VIII, cap. III, censeat imagines et nomen Jesu non nisi cum exemplari, vel re nominata adorari, hoc est, tantum coadorari, non autem separatim adorari, id est coli. Ratio ejus est: quia imagines in se sunt res inanimæ: ergo adorationis incapaces. Hoc verum est de adoratione proprie dicta, non de cultu venerationis paulo ante descripto et a Pontificibus ac Conciliis sancto. Nam, ut ait Catharinus in cap. IV epistolæ ad Rom.: « Extat justissimè. Pontificis decretum, quo mandatur, ut ad hoc nomen Jesus omnes inclinent caput. » Et Concilium Moguntinum, § 2: « Codices, ait, oculis perlustrans, cum ad venerabile et tremendum nomen Jesu deveniret, caput aperit, inclinatur, et suspirans in celum oculos attollit. » Navarrus, lib. De Orat., cap. IV, num. 3: « Concilium, ait, Lugdunense, cap. Decet, de Immunit. Eccles., lib. VI, antea statuit, ut cum sublimè illud nomen Jesus pronuntiatur, omnes illud veneremur, saltem capita inclinando. » Vide et piæ Gregorii verba hæc de re apud Scriverium, in cap. II Josue, Quæst. XV, quibus statuit ut ad nomen Jesu omnes « flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur. »

Nota: Antequam Jesus nasceretur, nomen Jesu prædixerunt et exultantes vaticinati sunt Patriarchæ, Prophete et Sibyllæ. Jacob, Gen. XLIX, 18: « Salutare (Salvatore) tuum expectabo, Domine. » Habacuc III, 18: « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. » Isaiæ XLV, 8: « Rorate celi desuper, aperiatur terra et germinet salvatorem. » Et passim Septuaginta Hebræum nomen משיח משיח, quo sæpe vocatur Messias, sive Christus, vertunt משיח, id est salvator. Idem prophetarunt Sibyllæ, ut docet acrostichis illa versusum Sibyllæ Erythrææ, quorum prima littere hæc verba reddunt: *Ἰησοῦς Χριστός, υἱὸς Θεοῦ, σωτὴρ, σωτὴρ, Ἰησοῦς Χριστός, υἱὸς Θεοῦ, σωτὴρ, σωτὴρ, Ἰησοῦς Χριστός, υἱὸς Θεοῦ, σωτὴρ, σωτὴρ.* Idem versus exstant in fine Sibyllinorum oraculorum, tom. II Biblioth. SS. Patrum, et illos citat Cicero.

Hæc II De Divinitate, indaque probat poema Sibyllæ non esse furentis, sed attentæ animi, artisque et cogitationis; item Constantinus Imperator, apud Eusebium in fine Vitæ ejus, et fuse Augustinus, lib. XVIII De Civit., cap. XXII.

CELESTIUM, — id est eorum qui in caelis sunt, puta angelorum et hominum beatorum.

TERRESTRIUM, — Græce *ἐπιγῆιον*, id est, ut Syrus, eorum qui in terra sunt, puta hominum qui in terris agunt.

ET INFERNORUM. — Græce *καταγῆιον*, id est subterraneorum, qui, ut Syrus vertit, sub terra degunt, puta eorum qui expiantur in Purgatorio et eorum qui damnati sunt in inferno, sive homines sint, sive demones, ait Anselmus: hi enim licet involti genua flectunt, id est agnoscent, tremunt et reverentur nomen Jesu, id est Jesum Deum, salvatorem et redemptorem bonorum, impiorum vero et suum dominum, iudicem ac vindicem. Hinc S. Justinus, Apolog. I pro Christianis, ante finem narrat Christianos suo tempore solere egeremus curare, eosque a demonibus liberare invocatione nominis Jesu.

11. ET OMNIS LINGUA (celestium, terrestrium et infernorum, ut processit) CONFITEATUR QUIA (quod) DOMINUS JESUS CHRISTUS IN GLORIA EST DEI PATRIS. — Scilicet, quod Jesus quæ deus, in eadem gloria, essentia, majestate et potentia divinitatis sit cum Deo Patre; quæ homo vero, quod evenit sit ad dexteram Dei Patris super omnes homines et angelos, proximæque et maxime participæ Dei Patris gloriam, ut vere in eadem cum Deo Patre gloria esse dici possit, longe verius quam alii Sancti, qui suo quoque modo in beatitudine et gloria sunt Dei Patris.

Nota: Græca habent *ἐξ ὧν θεὸς Πατὴρ, ἐν gloria Dei Patris*, quod Chrysostomus cum suis sic explicat, q. d. Ut omnis lingua confiteatur, quod Christus Jesus est Dominus, id est in gloriam Dei Patris; sed planius noster interpretæ: pro *in accepit, in gloriam*, id est *in gloria*: sic enim sæpe loquitur sanctus Paulus, ut sæpius jam vidimus.

12. ITAQUE, CHARISSIMI MEI, NON UT IN PRESENTIA MEI TANTUM, SED MULTO MAGIS NUNC IN ABSENTIA MEA, CUM METU ET TREMORE VESTRAM SALUTEM OPERAMINI. — Vocula ut emphasim habet, et exponenda est per tanquam, q. d. Non tantum bene operamini cum præsens sum, ut, id est tanquam in presentia mea, id est tanquam hæc præsentem et presentiam meam reverentini, uti solent discipuli presentem magistro diligenter studere. Alio qui Græca, Syrus et Latina nonnulla voculam ut omittunt, et tunc planior est sensus, q. d. Hortor vos ut bene operamini (operamini enim hic non est indicativus, sed imperativi modi), non tantum cum præsens, sed etiam cum absens sum.

Nota secundo: Vox itaque connectit hæc cum præcedentibus, q. d. Hortatus sum vos, vers. 2 et 3, ad fugam discordiæ et contentioni, ad humilitatem, obedientiam, concordiam, atque ad hæc

vos, vers. 3 et seqq., excitavi exemplo Christi, qui humiliter se et obediit usque ad mortem crucis, et per hoc exaltatus est super omnia: nunc infero et concludo, hortorque ut exemplo Christi vos humilietis, ut pariter cum eo exallemini, ac consequenter, ut Dei meisque præceptis de concordia et humilitate obediat; nec in superbia et contentione, sed in humilitate, id est cum metu et tremore, vestram salutem operemini, quantum vobis sapientes, sancti aut perfecti videamini. « Deus, inquit S. Augustinus, serm. 2 De Verbis Apostoli, est qui operatur in vobis, ideo cum timore et tremore vallem facite, imbro suscipite: depressa implentur, alta stantur; gratia pluvia est. Quid ergo miraris, si Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ideo cum timere et tremore, id est cum humilitate: noli alium sapere, sed time. Time ut implearis, noli alium sapere, nec scieris.

CUM METU ET TREMORE VESTRAM SALUTEM OPERAMINI. — Alibi ad Psal. II, vers. 11: « Servite Domino in timore, et exultate eum cum tremore. » Hinc patet primo, in homine esse liberum arbitrium etiam in rebus græviæ et salutis; secundo, neminem esse certum de sua gratia et perseverantia.

Negant hoc Lutherani et Calviniste, docentque eum, qui veram habet fidem, credere debere se esse in gratia, sequere electum et prædestinatum a Deo, certoque salvandum; sed hoc Apostoli loco convincuntur: ubi enim est certitudo, enque fidei, ibi non est opus metu et tremore: sicut non metumus ne Christus non sit natus aut passus, quia de his habemus certitudinem fidei; atqui Apostolus requirit metum et tremorem in procuranda salute nostra: ergo de ea non habemus certitudinem.

Respondent aliqui, inter quos est Vatablus (sed ab hæreticis hoc loco et alii corruptus), per metalepsin metum et tremorem hic accipi pro diligentia: qui enim timent, solent esse diligentes. Contra: hoc valde remotum et improprium est; proprie enim metus timor significat. Utque se proprie metum accipere, eumque non qualem qualem, sed magnum et vehementem requirere, declarat Apostolus, addit et arguit dicens: « Et tremore. Tremor enim, inquit Chrysostomus, est augmentum timoris. Ita Patres passim, præsertim S. Augustinus Contra Pelag., et Concilium Tridentinum, sess. VI.

Secundo, diligentiam non significat verbo metus et tremoris, sed operamini, ut mox dicam.

Tertio, etsi daremus metum, hic significare diligentiam, hæc diligentia evertit Novantium certitudinem gratiæ: ut quid enim tam studiosos fideles omnes excipiat Paulus ad diligendum bonorum operum, ad proseguendam viam salutis, nisi quia de salute certi non sunt, sed ab ea aberrare et excidere possunt? Frustra enim et ridicule diceretur iis qui de sua salute certissimi sunt, q. d. in